



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniae Agrippinae, 1657**

Quo affectu Horarias preces persolvere oporteat. 8

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

CAP. V. *Biblia à Clericorum manibus nunquam deponenda.*

**H**ic satis est admonuisse omnes pariter Ecclesiasticis muniis consecratos, ipsos precibus supplicationibusque publicis Deo persolvendis mancipari. Quas ut non tantum ore murmurent, sed & corde persolvant, nunquam à manibus eorum liber Legis (hoc est Biblia) deponatur. Nam ut, quæ legunt & canunt, discant intelligere, tota vita vix suffecerit: si tamen quid est in literis sacris, quod totum humanus intellectus assequi possit, aliis subinde divitiarum fonticulis ex eodem fonte semper scaturientibus.

CAP. VI. *De Horariis precibus indies perlegendis, & reformandis Breviariis.*

**V**eteris ergo instituti, quo sancitum est, ut Clerici, sacris initiati, vel Sacerdotiis præsidentes, singulis diebus perlegant Horarias preces quas Canonicas appellamus, causæ multæ, & potissimum eæ quas jam commemoravimus, videri solent. Hic multo jam ex tempore, pio (ut spes est) animo, desideravimus repurgari Breviaria. Nam cum olim à sanctissimis Patribus institutum sit, ut solæ Scripturæ sacræ in Ecclesia recitarentur, nescimus qua incuria acciderit, ut in earum locum successerint alia, cum his neutiquam comparanda; atque interim historiæ Sanctorum tam inculte ac tam negligenti iudicio conscriptæ, ut nec auctoritatem habere videantur nec gravitatem. Deo itaque autore, deque Consilio Capituli Nostri ac Theologorum aliorumque piorum virorum, reformationem Breviariorum meditabimur.

CAP. VII. *Pro cujuslibet affectu non facile novandum quid in Ecclesiastico officio.*

**S**unt in Clero, zelum quidem Dei habentes, sed non secundum scientiam, qui, privati quibusdam affectibus ducti, vel testamento vel (ut vocant) foundationibus efficiunt, ut nova festa, præter Ecclesiæ auctoritatem, solemniter subinde celebrentur. Quo interim fit, ut preces Horariæ, ac reliqua publice recepta, pro affectu cujuslibet facile noventur. Id quod nobis non satis probatur; neque enim errarunt Patres; à quorum institutis, in dicendis precibus, utinam tam longe discessum non fuisset. Quod si hîc singulorum affectibus indulgebatur, tandem antiquus ritus penitus evanescet.

CAP. VIII. *Quo affectu Horarias preces persolvere oporteat.*

**N**on suffecerit autem, preces istas Horarias utcumque permurmurasse: sed, ut conciliari constitutione cautum est, Presbyter ex intimo affectu, elevataque mente in solum Deum, nocturnum hoc diurnumque suæ servitutis pensum exsolvat. Maledictus enim, qui facit opus Domini negligenter. Alioqui in precantes competet: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me. Quam maxime verò orantem cavere oportebit, ne aliò respiciat quam ad Deum, Quod si externæ gloriæ aucupandæ aut lucri gratia, denique potius ex more quam mente orare instituat, pars ejus inter hypocritas reputabitur, de quibus Dominus in Evangelio pronuncia- vit, quod ament in Synagogis & in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus, proindeque mercedem suam receperint. Et alibi ipsis interminans: Væ, inquit, vobis, Scribæ & Pharisei hypocritæ, qui comeditis domos viduarum, oratione longa orantes: propter hoc amplius accipietis iudicium. Alibi quidem Dominus ait, oportere semper orare, ac nunquam deficere; sed alia prorsus ratione, quam precabantur Pharisei: nempe, secundum divi Pauli sententiam, qui divini numinis clementiam sibi conciliare volent orando, oculis interioribus in cælum semper intentis, orabit spiritu, orabit pariter & mente; psallet spiritu, psallet & mente: quemadmodum de Anna Samuelis matre legimus, quod, multiplicans preces, coram Domino loquebatur in corde suo, tantumque labia illius movebantur, & vox penitus non audiebatur; effudit enim animam suam in conspectu Domini. Denique curandum est, ut pœnitenti animo, ac corde contrito humiliatoque, gratiæ Deo dicantur, ac psallatur. ut enim divinus Psalter ait: Peccatori dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas? & ea quæ sequuntur. utque oculi inter orandum ab omni vanitate avertantur.

CAP. IX. *Summa devotione, Missæ sacrum celebrari oportere.*

**I**am si tanto mentis ardore quælibet preces dicendæ sunt, quanta (putamus) devotione sacrosanctum Missæ ministerium, in quo Corporis & Sanguinis Domini Sacramenta tractantur conficiunturque, peragendum est? Certe graviter dolemus, atque animo inhorrescimus, ubi videmus passim, tantis mysteriis indignos, ac conductitios illos ac indignos Sacerdotes, publicis etiam ac manifestis criminibus contaminatos, sese (idque irreverenter, & interdum magis lucelli ac stipis, quam Dei causâ) sacris ingerere, quorum instat interitus,

M & per-

Ex Conc. Agathensium Presbyter. Ex eodem Conc. gen. c. dolenter, de celeb. Miss. Hier. 48. Esaiâ 29.

Matth. 6.

Matth. 23.

Luca 18.

I Cor. 14.

I Reg. 1.

Psal. 49.

Hieron.

In Com. Afric.

Rom. 10.